

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
NATURA MORBI COELIACI
EJUSQUE GENUINA
NOTIONE

QUAM
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO
LOCO CONSUETO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS THEOPHILUS LANDESEN

REVALIENSIS.



REVALIAE ESTHONORUM
EX OFFICINA C. DULLO.
MDCCCXXII.

Inprimatur,
conditione tamen, ut, simulac typis excusa fuerit
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui libro-
rum censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. IV. Mens. Junii
MDCCCXXII.

Dr. Ludovicus Emil Cichorius,
h. t. Decanus.

D 16787

Viro praenobilissimo

Hermanno de Mühlen

Senatori civitatis Revaliensis

Praeceptoris doctissimo atque Amico
carissimo

Summa ad cineres usque pietate colendo
diligendo, venerando

hoc primum Literarum Specimen
pia grataque mente

Dat Dedicat Et Offert

Auctor.

Quantumvis liqueat, morborum naturam non satis posse cognosci, nisi omnibus momentis, ad formationem morborum necessariis, intente spectatis, hoc ipsum quidem saepius neglexisse videntur medici. Unde factum est, ut jam superiorum aetatum medici naturam nonnullorum morborum illustrari, parum ad veri cognitionem ulterius promovendam conferrent. Magna pars veterum pariter ac recentiorum et symptomata morborum haud accurate memoraverunt, raroque de morborum prodromis, momentisque causalibus mentionem fecerunt, unde evenit, ut diversos morbos communi nomine signarent, nonnullis quidem symptomatibus, quae pariter cum aliis morbis communia esse possint, spectatis. —

Quantopere hallucinari possis, non omnibus momentis morborum animadversis, et ipse morbus coeliacus probat. (Graccis Koiliakos, Ventriculosa passio, Fluxus chylosus, Fluor albus in-

testini recti, Fluxus coeliacus, Milchrühr etc.) Nonnulli recentiorum medicorum nec momenta morbi coeliaci formandi, nec symptomata quidem satis accurate descripserunt, ut in quibus definiendis diversi scriptores in diversas abirent partes. Huic dissidio atque in describendo morbo coeliaco dissensioni nec novae theoriae defuerunt, quae, non nisi unius symptomatis ratione habita, cetera negligebant. Recentissimi auctores e contrario, symptomata, quae nullo modo necessaria, sed accidentaliter erant, cum ceteris morbi coeliaci conjungebant. Ob has tam incertas morbi coeliaci descriptiones permagni momenti mihi esse videtur, antequam ad opiniones de natura morbi coeliaci lustrandas eam, morbi coeliaci a diversis iisque antiquissimis medicis nobis superstites praemittere descriptiones. Omnibus enim momentis in libris veterum auctorum circa cognoscendum morbum coeliacum, quae commemorantur, accurate spectatis, dexterius morbi coeliaci naturam explorare licebit, faciliusque effugere in concludendo errorem. Ut omnem, quae in nos cadere possit, effugiamus suspicionem, nimium fortasse nos esse argumentatos, morbi coeliaci descriptiones, et ad verbum quidem, a veteribus scriptoribus mutuari et ex ordine afferre liceat. Quae circa antiquissimorum medicorum placita de morbo coeliaco in dubium sint vocanda, singula enumerare, subadditis ubi-

que argumentis, per limites angustas dissertationis non licet, quum recentiorum de morbi coeliaci naturâ opiniones fusius sint examinandae. — Denique habeo, quod enixe rogem, ut si lecturi in quos inciderint errores, in hac qualicumque dissertatione commissos, indulgere, mihi que veniam dare velint, in arte medica non nisi tironem me esse memores.

§ I.

In Hippocratis adeo, quae nobis quidem supersunt, monumentis ne verbum quidem, quod sciam, de coeliacis occurrit, nisi cum Davide Graebnero ¹⁾ huc referre velis, quae Cous ²⁾ L. III. de diaeta XXV adfert, „quod secessus quibusdam non putrefactus, per alvum abeat, et corpus contabescat, cibus non fruens.“ — R. A. Vogel ³⁾ de Lien-

-
- 1) David. Graebneri Medicin. vet. restitut. pag. 104.
 - 2) Hippocratis opera omnia, edidit Joann. Anton. van der Linden. Lugd. Batav. 1765. Lib. III de Diaeta XXV. de affectionib. Cap. XXV.
 - 3) Rudolph. Augustin. Vogel de fluxus coeliaci genuina notione atque ratione exposita, publ. defend. Joann. Iust. Sothen. Götting 1768 pag. 9. R. A. Vogel academicae praelectiones de cognoscendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus Edit. II. Gött. 1785 §. 334 pag. 256.

tericis haud dubie intelligendum esse existimat, id quod clarissime apparet ex his ipsis Hippocratis verbis ⁴⁾ „Intestinorum laevis cibos demittit, minime putrefactos, liquidos, dolor non adest, corpus autem extenuatur.“ — Satis constat, Hippocratem sub laevitate intestinorum *lienteriam* intellexisse.

§. 2

Aretacus Cappadox, ⁵⁾ Graecorum medicus luculenter descripsit morbum coeliacum. Verba eius sunt: „Ventriculus concoctioni destinatum viscus in concoquendo laborat, cum alvi profluvium, quod Graeci Diarrhoeam vocant, hominem premit, et est liquidi alimenti incocti profluvium, nisi a recenti et proxima causa unum aut alterum tantum diem permanente, oriatur. Praeterea et totus homo debilis redditur, quia corpus non alitur, unde longus morbus, *Coeliacum*, quem vocant, efficitur, ob concoquentis caloris imbecillitatem, frigusque ventriculi, cum liquescit a calore alimentum, sed non concoquit calor, neque in succum proprium

4) Hippocratis opera omnia, edidit Iohann. Anton. van der Linden. Lugd. Batov. 1765. Lib. III. de affectionib. Cap. XXV.

5) Aretäus de signis et causis morbor. diurn. recensuit Alb. de Haller Tom. V. Lib. II. cap. 7. pag. 112 — pag. 249.

vertit, semicoctum, imperfectumque relinquens, cum perfectionem assequi non possit, id vero concoctione destitutum ad pravam commutatur, et colore et odore et consistentia; albus est enim bile privatus color; olida excernuntur et lutulenta, liquida et inconsistens ob profligatam actionem substantia est, virtutem modo atque principium coctionis prae se ferens. Hac de causa venter flatuosus est, ructus assidui, tetri odoris. Quod si deorsum penetrent, strident intestina, flatus erumpunt, humidi, argillosi, videtur autem ipsis tanquam humidum quoddam effluere. Dolor ventriculi gravis est, aut subinde punctiones referens, gracilis vero et emaciatus homo redditur, pallidus, iners, nihil ex negotiis usitatis valenter efficiens, sed cum ambulat, membra labescunt, temporum venae exertae sunt, siquidem ob alimenti penuriam tempora habent concava, atque in omni corpore venae insignes apparent, non modo enim morbus iste non concoquit, verum statim neque in molem corporis distribuit. Nam haud solum concoctionis, sed etiam digestionis vitium mihi esse videtur. Porro si in incremento morbus sit, materias ab omni corpore in ventriculum rursus adducit; tunc ea jam est corporis eliquatio, os est aridum, superficies squallida, nihil sudant, ventriculus nonnunquam ut ab ardenti carbone peruritur, alias tanquam a crystallo conglaciatur, interdum vero sanguis in extremo

vitalis discrimine constitutis in dejectionibus flavus defluxit, purus, non permixtus, ut venae ostium patefactum esse videatur, acredo namque venas exedit. Longissimum et difficulter curabile vitium. Etenim si absque manifesta causa desuisse videtur, iterum invadit, ubi et ex levi errore jam denuo suboritur. Per circuitum igitur morbus iste interdum revertitur. Senibus hoc malum familiare est, et mulieribus magis quam viris. Pueris autem ventris effluvium est assiduum, ob quotidianam cibi intemperantiam, sed non ventriculi debilitate morbus advenit. Ex anni temporibus aestas hoc malum saepius affert, secundo autumnus, deinde hiems frigidissima, si proxime ad extinctionem calor deveniat. Verum et largissimus frigidae potus interdum hanc labem progenit. — „Alio etiam loco sequentia habet,“ si ventriculus ciborum digerendorum impotens sit, diffluat autem alimentum non coctum, non mutatum, crudum, nihilque ad corporis molem transeat, coeliacos hos appellamus, refrigerato nimirum intus innato calore, quominus coquat, et viribus quae distribuunt alimenta debilitatis.“ —

Quamquam Aretaeus, quae in morbo caeliaco excernuntur, Chymum esse, disertis verbis ipse non doceat, ex iis tamen, quae de natura morbi disserit, sufficienter id quidem elucet. Aretaeo monente, alimenta in ventriculo non satis coquantur, in duodeno cum bile non miscentur, nec resorbentur

in intestinis; qualia igitur e ventriculo proveniunt alimenta, talia alvo excernuntur; itaque excretio non nisi abnormis chymus esse nequit. —

Notatu dignum mihi esse videtur, Aretaeum morbos admodum diversos sub communi morbi coeliaci nomine intellexisse. Alio quidem loco contendit, alimenta debilitate ventriculi et intestinorum semicocta albique coloris, alio contra incocta, haud immutata et cruda excerni. Ex quo, postremo symptomate characteristico Aretaeum morbum coeliacum cum lienteria confudisse, clare patet.

§ 3.

A. Cornelius Celsus 6) Romanorum Hippocrates (ut vulgo dicitur) inquit, „in ipsius vero ventriculi porta consistit is, qui et longus esse consuevit et Koiliakos a Graecis nominatur. Sub hoc venter indurescit, dolor ejusque est, alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit, extremas partes frigescent, difficulter spiritus redditur.“

Celsus tum ab antecessoribus, tum ab aequalibus, tum a successoribus in describendo morbo coe-

6) A. Cornel. Celsi Bipont. 1786. de medicina Lib. IV Cap. XII. pag. 223.

liaco discrepat; id quod etiam ex verbis Iosephi Scaligeri ⁷⁾ sequi videtur, dicentis: „commiscuit hic Celsus Colicam cum Coeliaca: facilis enim est lapsus. Halucinans haec scripsit, quia quum alvum nihil reddere dicat in hoc morbo, (quod falsum est, et de colica videtur intelligendum) tamen paulo post adstringentia praescribit. Ex quo apparet, medicum non fuisse Celsum.“ — Abs qua Iosephi Scaligeri sententia cel. Franciscus Boissier de Sauvages ⁸⁾ parum discoedit, dicens: „Coeliacus affectus Celsi videtur colica periodynia Ventriculi ideoque a Coeliaca recentiorum (imo et veterum omnium) diversissimus.“ — Mihi quidem Iosephi Scaligeri opinione, cum sententia Francisci Boissier de Sauvages comparata, haec non arridet, prioris opinione magis ad verum accedente, ut ex qua maximus inter morbum coeliacum Celsianum et colicam flatulentam eluceat consensus. Nemo enim scriptorum medicorum, quantum equidem sciam, affectum illum, a Celso ibi descriptum, morbum coeliacum vocavit, praeter unum forte Benevenium, ⁹⁾ qui Celsum hoc quidem loco est secutus. Ceterum cuius interest, pleniorum morbi coeliaci a Celsiano

7) Ioseph. Scaliger in variorum notis, novissim. Celsi Editioni. Lugd. Batav. 1796. adjectis pag. 623.
8) Franciscus Boissier de Sauvages in Nosologia methodic. Tom. III. part. II. pag. 143.
9) vid. No. 10.

adire et consulere expositionem, hunc ad doctam exactissimamque ill. Dan. Guill. Trilleri ¹⁰⁾ commentationem ablegamus.

§ 4.

Galenus ¹¹⁾ „sunt alia inquit quoque accidentia, quae quidem haud absurde et intestinis et ventriculo simul affectis evenire creduntur, ut quos laevitates intestinorum et koiliakos id est ventrales dispositiones nominant, quum videlicet materiae nequaquam sunt mordaces. Nam ut mordaces ob mordendi vim omnia intestina ad excretionem excitant, ita mordaces intestina sequi consueverunt, quia retinere contenta ne exiguo quodam tempore possunt.“

Paucula ex Galeno in medium proferre possum, eo quod symptomata morbi coeliaci nusquam locorum commemoret, naturamque obscurius explicet, sola dispositione ventrali incusata. Quo quidem pacto Lienteria et morbus coeliacus differant, nullibi docuit. Ex comparatione alio loco cum stranguria, lienteria et morbo coeliaco ab ipso instituta, ideoque dicente „in hac (stranguria-stilli-

10) Dissert. medica inauguralis de morbo coeliaco singulari a Cornel. Celso descripto, quam praeside Danielo Wilhelmo Trillero defendet Christ. Imman. Loescher Wittenberg 1765 §. III. pag. 4.
11) Galenus de locis affect. Lib. VI. Cap. II.

cidium Urinae) modo ob acrimoniam et vellicatorem vesica jugiter quidquid ad eam pervenit, secermit, modo ob id, quod molem ipsius vel exiguam sustinere nequit, — sequi mihi videtur, de receptivitate aucta (quem dicunt,) eum cogitasse, qua, alimenta ab intestinis accepta alvo celeriter deinde excernuntur. Ex recentissimorum auctorum sententia, receptivitas aucta intestinum lienteriae proxima causa est. Unde apparet circa lienteriae naturam recentiorum medicorum maximum cum Galeno esse consensum. Nihilominus morbi coeliacii proxima causa, me quidem iudice, ex intestinorum aucta receptivitate, seu dispositione ventrali, derivari nequit; et Galeni inde petita conclusio, lienteriam et morbum coeliacum non nisi per gradus differre, ad veri speciem quam proxime accedere mihi videtur.

§ 5

Caelius Aurelianus ¹²⁾ ex numero Methodicorum et magni ingenii vir. Verba ejus haec sunt: „Ventriculosa passio,, a parte corporis, quae patitur, nomen accipit. Generatur ex antecedenti indigestione continua, vel tumore vehementi aut dysenteria. Sequitur

12) Cael. Aureliani de morbis acutis et chronicis recensuit Albert de Haller Tom. X. 1774 Lib. III. Cap. III. pag. 290.

in hac passione constitutos varia stercorum egestio, qualitate atque colore, nunc tenuis ac soluta, nunc aspera et inaequalis vel constricta, et nunc alba, nunc similis Urinae camelorum, nunc flava et spuriosa, nunc prasina, vel livida, aut nigra, aut purulenta, aut sanguinea cum gravi foetore et rugitu intestinorum, atque in exitu sonitum: et post effusionem factae velut scatentis stercoris vesiculae: et nunc jugiter nocte atque die, nunc coacervatim, sed interjecto spatio, ut per diem bis, vel semel, aut interpositis uno vel duobus diebus, aut eo amplius, et nunc cum tensione atque ventositate et tormento vel dolore aut singultu, considente atque conducta cute, quae ventrem circumtegit, adtestante siti et ipsius ventris fervore et levi in interioribus torpore frigidus. Sequuntur etiam vigiliae, fastidium cibi et aliquibus plurimus adpetitus, virium debilitas, pallor subalbidus, et nunc febres, dehinc corporis odor teter, plurimus (putridus) ut etiam quae suis manibus tetigerunt, computrescant, et difficile careant odore concepto“ (hoc singulare certe est phaenomenon, quod nullibi apud veteres utriusque linguae Medicos, neque apud scriptores nostri temporis memoratum est) „tum etiam vultus inflatio atque pedum: quibusdam etiam dysenteria congeneratur, cum facile fuerint intestina ulcerata ob defluentium acrimoniam.“ —

Caelius Aurelianus naturam morbi coeliacii pa-

rum exacte explicat, asserens, ab adfecta corporis parte nomen accepisse morbum. Uthoffio¹³⁾ auctore, Caelius Aurelianus naturam passionis ventriculosae in ventriculi intestinorumque debilitate collocat, quae taxanda mihi videtur sententia. Caelius Aurelianus de ventriculosa passione curanda disserens, frequente clysmatum usu commendato, monet, faustum inde pendere successum, eo quod ulcera (fluidorum acrium, per alvum excretorum effectus) inferiorem intestinorum partem plerumque infestent. Uthoff suspicatur, hoc modo causam cum effectu ab eo confundi, ut qui malum quoddam topicum in animo habuerit. Cui opinioni non solum ipsa ventriculosae passionis descriptio a Caelio Aureliano exhibita, sed alia etiam infra commemoranda contradicere mihi quidem videntur.

§ 6.

Quorum majorem descriptionum morbi coeliaci numerum cognoscere interest, in sequentibus antiquissimis scriptoribus invenient, supra jam commemorata. Illi aut Aretäum aut Cael. Aurelianus secuti sunt, ex quibus ad Aretäum, Pl. Valerianus,¹⁴⁾

13) Ioh. Georg. Henric. Uthoff dissertatio inauguralis medica de morbo coeliaco ejusque genuina notione Götting. 1787. pag. 15. pag. 32.

14) Pl. Valerianus de re medica. L.II. Cap. XXVI.

ad Cael. Aurelianus, Al. Trallianus¹⁵⁾, Aetius ex Archigene¹⁶⁾ Paulus Aegineta¹⁷⁾ etc. pertinent.

§ 7.

Atque hi sunt plenissimi fontes, e quibus exactissimam coeliacorum cognitionem haurire possis. Ceteri prisca medici, sive Graeci sive Latini, non tam prolixè et discrete morbum descripserunt, neque aliud fere quidquam quod ad ipsius naturam proprie pertineret, addiderunt, quod isti supra laudati viri nondum proposuerint.

§ 8.

Quaenam igitur sit morbi coeliaci conditio et quid isto comprehendi patiantur, ex allatis diversorum veterum medicorum observationibus haud obscure, nunc adparet. Operae tamen pretium videtur, ut integram ejus historiam ex praecipuis monumentis per tot volumina auctorum dispersis, nunc vero in unum colligendis atque digerendis conficiamus. Morbus igitur sic deprehenditur: Ex

15) Alex. Trallianus recens. Alb. de Haller, Tom. VI. 1772. Lib. VIII. Cap. V.

16) Aetius ex Archigene, Tetrabibl. III. Serm. I. Cap. XXXVII.

17) Paul. Aegineta. L.III. c. XL.

alvo materies quaedam, chylo ex cibis assumtis praeparato, vel lacti similis, nunc flavae simul ac spumosae, nunc prasinæ, lividae, nigrae, purulentæ et sanguineæ, plerumque cum gravi foetore, aliquandoque etiam cum animi deliquii sensu, descendunt. Ipsa materiarum egestio subito et plerumque copiosa fit, ac vel diu, noctuque assidue aut semel et coacervatim, aliquando vero interjecto spatio unius aut plurium dierum. In ventriculo sensus vel ardoris vel frigoris est, inque ipso ventre, qui multo aere tensus est et dolet, murmura exaudiuntur. Alii cibos appetunt, alii illos aversantur. Sitis ad hæc urget et vigiliae. Sub progressu morbi, febris aut saltem febricula praesto est, vires sensim decrescunt, cutis squalida est et arida, nihil sudant, facies et pedes intumescunt. In extremo vitae discrimine constitutis interdum sanguis vel purus vel permixtus cum iis quae egeruntur destillat. Morbus admodum longus est et difficulter curatur. Per circuitus redire consuescit idem et ex levi errore iterum suboritur. Ceterum aetati senili ac infantili, foeminis magis quam viris praecipue familiaris est.

§ 9.

Quisquis autem hæc de coeliaco morbo perle-

legerit, prout prisca Medici illam nobis describere, ne istum exclamantem audite mihi videor, Heu! quantum is morbus ab hoc distat, quem recentiores coeliacum appellant. Effecit imprimis, inquit „Vogel (l. o.) tum novitatis studium, tum vero optimorum veterum Medicorum neglecta maxime lectio, ut quid isti nomine Coeliacæ insignavere, ab his minus rectè intellectum et nomen morbi saltem ad speciem ejus quandam translatum fuerit, in qua albicantia tantum excrementa copiose et frequenter dejiciuntur.“ Fortassis enim recentiores Medici ex Aretæo, quem solum, uti videtur, evolverunt, aut ex Pl. Valeriano notionis suae fundamentum petiere; quorum ille quidem hanc saltem fecum qualitatem pro nostri morbi signo adfert, quod albus ipsarum sit bile privatus color; hincque pariter alba et indigesta excrementa profluere contendit. Unde facile conclusio fieri poterat, non aliud, quam hoc fecum genus in coeliaco morbo excerni: quae deinceps aliam statim peperit, universim quidem hactenus probatam ac receptam, quod chylosus scilicet humor efflueret et morbum coeliacum constitueret. —

Neque certe desunt in recentiorum libris ejusmodi observationes, quae coeliacum morbum, prout ille nobis ab antiquissimis est descriptus, clarissi-

me designat. (Horst ¹⁸) Stoerck ¹⁹). Quidquid autem Aretäus, atque Pl. Valerianus de albis tantum materiis in hoc morbo dixerint, hoc non ita est intelligendum, quasi non aliis possint coloribus corruptae et non bene ac perfecte coctae substantiae deturpari. — Neque ex uno saltem scriptore historia morbi cujusdam repetenda est, sed omnino plures, imo omnes, quotquot eorum praestent, inter se conferendi sunt, et ex cunctis demum accurata est descriptio consignanda, quum quae ab uno praetermissa fuerunt auctore, aut non visa vel animadversa symptomata, alter forte vel plures alii adnotaverint.

§ 10.

Quantumvis recentiores in hoc morbo, excreta alba chyli cum effluentis colore tincta, frequenter dejici arbitrantur, non uno tamen modo hunc chyli fluxum animo concipiunt, sed etiam diversa ratione describunt istum, ut mirari satis discrepantiam hac in re non possis et manifeste perspicias, plerosque hunc fluxum aut plane non vidisse, ejusdemque modum ex opinione tantum paeconcepta

18) Horstii Observat. Med. LIV. 24. Misc. Nat. Cur. Dec. I. ann. II. obs. 20.

19) Stoerck ann. med. II. p. 250. sq. in Vogel. diss.

mente concepissee, aut suis oculis certe materiam ipsam haud perlustrasse. Illorum theoriae, quum, sicuti jam supra monere meminimus, multis in rebus inter se conveniant, singulis scriptoribus examinandis parum immoraturi cunctas diversitates junctim enarrandas et theorias commemorandas eamus jam dijudicatum. Ita nempe evolventi mihi variorum auctorum loca persuasum est.

§. II

Fernelii ²⁰) observatio prima se nobis offert considerandum. Is quidem contendit „quum ab alvo cruda perpetuo defluant, aquosa nempe, diluta, humentia et solo quidem ventris rugitu, vel murmure, at nullo, saltem non manifesto torminum dolorisve sensu concomitata, tunc aut de lienteria aut de coeliaca cogitari licet. Si enim laevia et aequalia, suique similia et quasi chyli speciem praeseferentia profluunt, coeliaca; sin vero inaequalia suique dissimilia, in quibus cibi nec obriti, nec confecti substantia aperte reperitur, lienteria est. Secundum Fernelium coeliacae affectionis causa, mala est imperfectaque chyli distributio, quam obstructio mesenterii, lienis et hepatis vel

20) Io. Fernelii Ambiani universa medicina ab ipso quidem auctore. Editio sexta. Frankof. 1607. de partium morbis et sympt. Lib. VI. pag. 597.

virium onera vehementis nimia imbecillitas, vel alimenterum maximeque fructuum fugacium (quos Fernelius dicit) et potus immoderata copia assumpta peperit. Haec enim distribui tota nequit, sed maximam partem in abdomine subsistit. Ante eruptionem abdomen distenditur, venter prominet, et crebra cum flatuum peculiari strepitu, evacuatio. Pulsus est frequens, celer et dejecturis obrepunt interdum animi deliquia. Supervacuo humore omni vacuato, profluvium sponte subsistit, jam eodem, quo coeperat, jam postero, aut tertio die.

Ad proximam coeliacae affectionis causam quod attinet, Fernelius non cruditatem, nec debilem imperfectamque ventriculi concoctionem, sed malam et imperfectam chyli distributionem esse statuit. Ex quibus Fernelii placitis sequitur, nunc chymum, nunc chylum alvo excerni, et chymum tum quidem, cum ob hepatis, lienis obstructionem, chyli formatio male procedit, chylum e contrario, hepate rite agente, quum chyli distributio sola impedita sit.

§ 12.

Riverius ²¹⁾ inter Lienteriam et coeliacam passionem discrimen per gradus statuit. In coelia-

²¹⁾ Lazari Riveri opera medica universa. 1698. Prax. med. Lib. X. Cap. IV.

ca passione cruda et male cocta alimenta, in lienteria e contrario incocta alvo ejiciuntur. Tam malae concoctionis ciborum causa ipsa ventriculi affectio est, qua alimenta tanta celeritate ventriculo expelluntur, ut plenam concoctionem subire non possint. Inde concludere licet, morbum coeliacum magis ex ventriculi affectione, quam ex intestinorum tum tenuium tum crassorum passione progigni. Riverius ex glandularum mesaraicarum (non quidem omnium sed maximae partis) obstructione, quod chyli transitus tunc sit impeditus, albae istius materiae excretionem derivat. Quo loco Actium compluresque illius sectatores vituperat, statuentes, ex densa et laevi vasorum mesaraicorum cicatricula oscula obstruente, chylique distributionem impediende, diuturna dysenteria producta, originem ducere morbum. Exceptis obstructionibus glandularum mesaraicarum, (quas in scrophulosis saepe invias esse contendit) Riverius non nisi momenta quaedam occasionalia, ut frigidam temperiem etc. Fluxus chylosi, seu morbi coeliaci naturam esse censet. Pro causarum diversitate diversa etiam symptomata erant: sic coeliaca passio ex irritatione orta, celerius at cum doloribus, e frigida temperie e contrario nata, multo serius at exiguis cum molestiis decurrebat. — Antequam Riverii de coeliaca passione observata inquirenda relinquimus, opinionis ejus absurditas omnino erit commonstranda.

Uno loco contendens, alimenta cruda, imperfecte cocta in coeliaca passione excerni, causamque malae coctionis alimentorum celcerem e ventriculo excretionem esse, sibi quidem constat, cum doceat, lienteriam et morbum coeliacum non nisi gradu, inter se differre. Qua, quaeso, ratione, cum priori, alia ejusdem sententia fuerit concilianda, qua Chylus excernatur? Nonne formatio chyli perfectam ciborum concoctionem in ventriculo, neutiquam autem ipsorum ciborum praecipitem excretionem poposcerit? — Nihilo secius tamen magna pars aequalium, eorundemque recentiorum medicorum secuti sunt istos, ut Peter Forestus ²²⁾, Theophilus Bonnet ²³⁾, Cullen ²⁴⁾ etc. etc.

22) Pet. Forestii observat. et curat. medic. opera omnia Frankof. 1660. fol. Lib. XII. obs. VII.

23) Theophil. Bonneti Thesaurus medico practicus 1691. Lib. IV. de affect. abdom. Tom. II. Cap. XXIX. p. 576.

24) Cullen Anfangsgründe der practischen Arzneywissenschaft. Lpzig. 1784. 3 Thl. §. 1431. pag. 286.

Burserius de Kanifeld. Vol. IV. de morbis imi ventris. pars alter. Cap. V. de alvi fluxib. §. 55. Gerardi L. B. van Swieten Comment. in Hermann. Boerhave aphorismos de cognoscendis et curandis morbis. Editio tertia. Tom. II. Lugd. Batav. 1759.

§ 13.

Si Ravellyo ²⁵⁾ credere velis, vasis chyliiferis viscida quadam materia praecclusis, ut muco, bile, quin lapidibus etiam, necesse esset, ut chylus deorsum se effunderet. Contendit ideum, Ictericum canali choledocha clausa exortum, cum fluxu chyloso, seu morbo coeliaco ipso saepe consociari.

§ 14.

Chemicæ scholæ medici ²⁶⁾ hanc morbi coelici originem sibi fingebant, ut, si bilis, succus pancreaticus in duodenum infusi, cum chymo miscerantur, fermentatio fieret, qua chylus ab excrementis separetur; quæ si male processerit, morbi, praecipue coelici, generandi ansam praebet. Tam acrior subtiliorque bilis, quam debilior et crassior; tam nimium, quam nimis parum acidi succi pancreatici; tam canalis choledocha, quam pancreatica clausa, vitiosae fermentationis causae extiterunt. Pro momentorum occasionalium diversitate, symptomata morbi coelici etiam erant diversa, sed in hoc uno symptomate, causis ceteroquin diversis, omnium opiniones consentiebant, albam esse excretionem. — Manifestum est, quam liberi illi me-

25) Ravelly in Bonnet. Thesaur. pag. 576.

26) Vid. Bonneti Thesaur. pag. 576.

dici, pro suo quisque arbitrio, morbi coeliaci symptomata sibi finxerint. Experimentae praeceptis omnino neglectis, de eo quidem parum solliciti erant, an haec symptomata morbo coeliaco convenirent, nec ne. —

Tantum abest, ut multi eorum albertia sterora et argillam referentia in Ictero obvia, alvi istam excretionem esse, qua morbus coeliacus insignis est, contenderint, ut potius opinio illa de nimia abundantia nimioque defectu acidi pancreatici, de acredine bilis, ect. fuerit dubia; quia nemo varias qualitates succi pancreatici, bilisque certe demonstraverat; et fac, comprobari illas experientia, fieri neutiquam potuerit, ut omnes, excrementis album tribuerent colorem.

§ 15.

Nonnullis morbi coeliaci originem ex enormi fermentatione humorum cum chymo in duodenum profusorum et mutationibus quidem supra jam commemoratis producta derivantibus, alii erant medici ²⁷⁾, quibus haec theoria non sufficeret, et qui,

27) Michaelis Etmülleri Opera med. theoret. pract. Edit. noviss. Tom. II. Genev. 1736. Prax. Lib. I de morb. funct. natural. Sect. IX. Cap. II. Artic. IV.

haec conjuncta, nihilominus tamen ad obstructiones venarum glandularumque mesaraicarum redirent.

§ 16.

Licet recentiores scriptores in hoc uno fere omnes consentiant, excretionem albae seu cinereae substantiae, morbi coeliaci eximium atque insigne esse symptoma, in ceteris fere omnes dissentiunt; aliis alimenta cruda et imperfecte cocta, aliis aliquantum immutata, (Riverius) aliis bene quidem cocta, sed cum chylo adhuc confusa, ²⁸⁾ aliis chylum cum excrementis, ²⁹⁾ aliis tam coctum quam crudum simul, ³⁰⁾ aliis contra purum et perfectum chylum ³¹⁾ profluere existimantibus.

Medicorum opiniones de natura morbi coeliacum allatas eo facilius dijudicaturi, in duas classes dividere easdem liceat. Altera eorum complectitur placita, quibus persuasum est, vitiis hepatis lienis, secretionem bilis vel omnino supprimi, vel bilem enormi ratione secerni, eaque de causa excrementa albertia, seu cinerea alvo ejici. Altera

28) Io. Dolaei Encyclop. Med. L III. C. III. p. 452.

29) Francisci de le Boi Sylvii prax. medic. idea nova Lib. I. Lugd. Batav. 1672. Cap. X. pag. 92.

30) Io. Hartmanni Prax. chymiatr. pag. 456. in Vogel. diss.

31) Casp. Theophil. Bierling. Eph. Nat. Cur. Dec. I. ann. II. obs. 152.

eos lustrato, qui materiam chylo formato atque impedita distributionis causa, albentem materiam alvo emitti existimant. Sublatam hanc vasorum lactiferorum resorptionem vel debilitatae potestati vasorum chyliferorum attrahenti, vel venarum glandularumque mesaraicarum obstructioni, vel osculis, muco, bile, lapidibus, aphthis et cicatriculis oclusis tribuebant. —

Contendere utique licet, primae classis auctorum plerosque albentem alvi excretionem Icteri descripsisse; clare tamen ex horum assertis elucet persuasio, morbum coeliacum semper cum Ictero esse conjunctum.

Quod magna medicorum pars lienteriam et morbum coeliacum per gradus distinxerint, equidem valde comprobo, cum ex eorum opinione alimenta, in lienteria parum tantum cocta vel omnino cruda, in morbo coeliaco autem male cocta, ejicerentur. Quodsi infra probare nobis licebit, auctorum sententiam de excretionem chyli a symptomatibus etc. istius morbi esse alienam, sequitur, ut, discrimen inter lienteriam et morbum coeliacum solis gradibus absolvi, omnino statui non possit.

Priusquam autem propius ad auctorum opinionem de morbi coeliaci natura examinandam accedimus, quae in ea spectanda nobis occurrunt, judicandae sunt quaestiones: quibusnam momentis adducti, istam, chylum esse, excretionem, contende-

re potuerint auctores? et: ex quibusnam aliis causis commoti sint, statuere, naturam morbi coeliaci ex commemoratis mutationibus organorum abdominalium pendere? — Ad priorem quaestionem quod attinet, haec quidem e physiologia et pathologia veterum satis est in aprico; nihil enim nisi album ex alvo ejecti colorem considerabant; — quia autem, morbo coeliaco diutius durante, emaciatio et febris hectica subsequerentur, in morbo coeliaco substantiam organismo necessariam, alvo excerni, rite inde concludere debebant. Cum auctoribus, chyli ista conditio satis innotuisset, ipsique haud ignorassent, morbum in quo chylus alvo excernatur, longum per tempus, emaciationem gignere, hinc habere putabant, quod excretionem pro ipso chylo acciperent. Haec prima quum ipsis arrideret sententia, id non agere non poterant, ut ex quibus mutationibus organorum abdominalium chyli effluxus pendeat, conjectura adsequerentur. Unde evenit, ut tam diversae morbi coeliaci conderentur theoriae, quam diversa tunc temporis chyli distribuendi cogitari poterant impedimenta. Cum praeterea Riverius, (l. c.) Diemerbroeck, ³²⁾ Bierling (l. c.) glandulas mesaraicas, in iis, qui morbi coeliaci vi erant consumti, obstructas invenissent,

32) Diemerbroeck opera anatomic, Tom, I, Lib. I, Cap. 8. in Vogelii diss,

confirmatam salvamque theoriam esse rati, maximam inter symptomata concordiam esse, contendebant. Quodsi perpenderit, omnes fere auctores non nisi morbi coeliaci symptoma, nempe albidum illum alvi excretionis colorem spectasse, aliis symptomatibus, vel utique neglectis, vel iis solummodo in universum spectatis, quae suae ipsorum theoriae conveniebant, profecto non tam multa in theoriis eorum obvia, de quibus nonnulli recentissimorum medicorum tantopere quaesti sunt nos offenderent.

Ut autem huic morbi coeliaci theoriae fidelem habeamus, primo, chemia duce, chyli in morbo coeliaco, qui excerni creditur, exponenda erat natura; deinde fieri non posse, ut chylus in glandulas lactiferas transeat, commonstrandum; quibus quidem ante expositis faecillime sane in suam sententiam (in morbo coeliaco ab ipsis descripto, chylum alvo effluxisse) nos adducturi fuissent. Verum enim vero, quum antiquis medicis Chemia substantiarum organicarum et non organicarum, aut omnino ignota, aut manca saltem, nec satis culta fuisset, nec quidquam, nisi praecipue externam corporum speciem qualiscunque momenti esse, crederent, in libris eorum, opiniones hujus documenta omnino frustra quaesiveris. — Ad alteram summptionem quod attinet, corporum mortuorum internae explorationes tam rarae erant apud veteres, ut, tum curam, tum frequentiam explorationum si

spectes, cum recentiorum meritis nullo modo comparari, nec omnino magni aestimari possint. — Cum, ad haec momenta quod attinet, nil omnino ad nos erudiendos subministrant scripta veterum, missis istis, ad disquirendas hasce quaestiones progredimur: Fuerintne, quae ejiciebantur, ipse chylus? an alia chylo subsimilis substantia? Numquid vasorum lactiferorum et glandularum mesaraicarum memoratae permutationes cum morbo coeliaco semper fuerint conjunctae? Num chylus per ea transire revera non potuerit? — Iam ex iis, quae dicta sunt, intelligas, quantum adhuc absit, ut definitionem, quae medicis illis, longe firmissima videbatur, adoptes. —

Transcamus jam ad ipsam recensionem. — Hanc theoriam, ad quam amplectendam tam multi propensi erant, argumentis multis primus impugnavit et evertit Cel. R. A. Vogel (l. c.) probans nec chylum, nec chymum ea quae in coeliaca excernuntur, constituere. Ad quem ipsum ablegare quidem possem lectores: attamen, cum sententiarum ejus nonnullae modum longe excedere, aliae exigui momenti esse mihi videantur, (quantumvis in iis proferendis, eximiam veterum scriptorum notitiam exhibeat,) hujus theoriae recensio accuratius instituenda mihi videtur.

Gravissimum argumentum, quo recentissimi

auctores adducti, modo commemoratam evertere studuerunt theoriam, hoc erat: Quotidie alvo egestorum, ut unanimi omnes consensu affirmant, insignis copia est, licet non nisi paullulum alimentorum assumssissent aegroti. Submonent illi auctores, chyli ex cibis quotidie assumptis, producti, etiamsi, sicut in quibusdam aegrotis, vel bulimia accesserit, minimam esse copiam, cum, alvo quotidie egestorum in morbo coeliaco quantitate comparatam. Quod quidem argumentum maximi est momenti, et certe probat, tum, cum quotidie in morbo coeliaco excretorum pondus, vel multas libras aequaret, chylum non aduisse. — Quanlibet hoc argumentum firmissimum profiteri coacti simus, tamen auctoribus comparatis, liquet, in morbo coeliaco alvo quotidie egesta, chylum, in homine, in quo viget ciborum adpetitus, quotidie secretum, quantitatem si spectes, nequam semper superare. — Ex fructuosissimo, quod Magendie de chylicatione instituit, experimento, chyli quotidie secreti quantitatem accuratius cognovimus. Cujus experimenti fide atque auctoritate nixis statuere nobis licerit, post cibum copiose assumptum, chyli circa uncias sex, hora ruente, in venam sese effundere, effusione plures horas perdurante. Quae chyli quantitas in digestionem normali cum secernatur, in ipsa bulimia saepius in morbo coeliaco observata chyli quantitatem, cum egestorum copia in morbo

coeliaco comparatam in nihil redigi, equidem non crediderim.

Enim vero apud et antiquissimos et recentiores auctores commemorata reperiuntur, minimae excretionis massae albens in morbo coeliaco exempla; auctorum argumentum, isti theoriae oppositum haud ita evidens; equidem putaverim, casu tamen, cujus mentio facta est, excepto. Quae quidem iis praecipue dicta sunt, qui hoc primum argumentum ad theoriam illam confutandam, utique sufficere existiment. — Quinimo in tanta morbi coeliaci decursus ac definitionum ex hac theoria petitarum infirmitate, huic repudiandae haud imparem me esse crediderem. Ad illas igitur examinandas, me jam accingere liceat. —

Magna, quam chylus organismo praebet, utilitas, satis jam docet, quantum damni chyli tam copiosa excretio corpori illatura esset, et quales sanguificationis et nutritionis permutaciones, restorationis fonte plane obstructo, gignerentur; quae quidem suffecerint, probare, morbum coeliacum, in quo chymus vel chylus alvo ejiciatur, nequam per longum tempus posse durare; at nihilominus maxima medicorum pars morbum coeliacum longe perdurare, contendunt; ergo theoriam, quae in morbo coeliaco excretum ipsum chylum esse docet, non

cum observatis de morbi coeliaci decursu convenire licebit.

Chymificationi, uti constat, pluribus horis, atque chylificationi pluribus etiam opus est. Si alvo ejiceretur chylus, tempus excretionis temporibus ciborum usus non respondere, neque excretio plures horas post cibum assumptum incipere non posset. Bonnet (l. c.) his fortasse theoriae oppositis adductus, chylum sex vel octo horis post coenam praeterlapsis ejici contendit. Ceterorum autem medicorum magna pars ³⁵⁾ chylificationi breve tantum tempus tribuunt, sicuti, statim post coenam albensis massae effluxum apparere, multis erat persuasum. Sed fac, nonnullas post coenam horas eum apparere: quam vehementer tum chylus intestina incitaret, ut brevi ejiceretur, aut quam facile quocunque urgente incitamento, intestina irritarentur. —

Explorationum novissimarum non ignarus, bile, succo pancreatico atque enterico, in chymum vim suam exserentibus, chylum sensim produci, atque villorum intestinalium superficiei oppositum, resorberi, ex chymio producti residuum autem intestinali in tractu manere, persuasum non habere non poteris, chylum, non resorptum, sed ex Chy-

35) Walaeus, in Bonnet. Thes.

mo separatim simul ejici una cum excrementis. Saltem argumentum satis manifestum, quo efficiatur, chylum solum ejici, invenire nondum licuit. At ejusmodi phaenomenon, quantumvis celebratum, secundum theoriam saepius jam memoratam, explicare vix licuerit. Iam I. I. Wepferus ³⁴⁾ nunquam chylum solum ejici contendit, et hanc opinionem amplexos, ait, ex libris solis medicos esse factos.

Morbi coeliaci periodica natura, subitum initium, finis subitus, quae singula multi, a supra dictis si discesseris, medici ³⁵⁾ ³⁶⁾ tuentur, ex istius theoriae praeeptis non intelligi, neque illorum ratio reddi posset, cum ex glandularum mesaraicarum obstructionibus chyli ista excretio oriri existimetur. Excrementa potius, glandularum obstructione sensim aucta, nec nisi rarum chyli transitum concedente, cum chylo magis minusve non commisceri non possent. Tum vero cum obstructionis sensim ineunte decremento et chyli excretionis deminutio conjuncta esse atque haec ad illud

34) Ioh. Iacob. Wepferus (in Epistol. ad Thom. Burnet. Tom. I. pag. 307. in ejus Thes. med. pract.)

35) Ludov. Mercati Prax. med. Lib. III. Cap. X. pag. 249.

36) Riedlinus ej. Linens. med. ann. 1697. mens. Octob. XVI. in Vogel. diss.

referri deberet, ita ut, chylo non alvo excreto, et obstructio cederet. Quae omnia in morbo coeliaco saepissime observata, ex illius theoriae praeceptis explicari sane non potuerint.

Ut eadem ad morbum excitandum momenta et morbum unum eundemque semper producant, ita etiam glandularum mesaraicarum obstructions, quibus medici copiosam chyli excretionem in puerili aetate tribuunt, chyli resorptionem impedirent, chylus ergo non ejici non posset. Verum tamen si recentissimorum eorumque celeberrimorum nostri aevi auctorum, qui multa de his rebus experimenta instituere, consilio hac in re usus, quaesieris, an in glandulis mesaraicis intumescensibus, chyli excretionem observarint, hujus mentionem apud eos frustra quaesiveris, ut qui e contrario contendunt, alvi copiosas excretiones, quibus saepe glandulis mesaraicis intumescensibus affecti laborent, non chylum, sed aliud quodcumque esse fluidum, quod negligenter quidem observantibus chylus videri possit. Sed tantum adest, ut glandulis mesaraicis intumescensibus semper fluida excrementa, ut e contrario alvi excretionem saepius inertem et excrementa ipsa normalia observes. Tunc igitur chyli resorpti in glandulas transitui nullum omnino obstitat impedimentum. — Cullen (l. c.) jam valde dubitat, an glandulae mesaraicae ita obstrui atque

intumescere possint, ut nullus chylo transitus concessus sit, et ipse quidem observationibus quibusdam adoctus fuit, glandulas mesaraicas maxima ex parte intumescens, chyli transitui impedimento non fuisse.

Chyli difficilem transitum atque impeditum progressum, verisimiliter alia morbi forma non sequi non posset. Nam cum ad excipiendum chylum continuo productum, coacta sint vasa lactifera, quae tamen ad glandulas invias usque repleri possunt: haud probabile esset, ut haec vasa mox dilatarentur, deinde etiam rumperentur, atque hanc ob causam chylus inter duas mesenterii laminas sese effunderet, denique igitur ascites chylosa oriretur, nisi alia vasa, (quorum praesentia, ut mihi quidem constat, observationibus nondum est evicta) glandulae obstructae subiecta, communicationem cum ductu thoracico ineundam restituerent. Argumentis simplicibus quidem inducor, ut ita concludam, at experientia tamen fidem non facit conclusioni. Qua contradictione medicorum opinio valde ambigua redditur.

Quodsi glandularum abdominis obstructions excretionis chyli in morbo coeliaco causae, incertae sint habendae, in severiorem etiam reprehensionem ea in-

currunt, quae de aliis causis referunt auctores. Omnes enim hae opiniones magis minusve falsis nituntur argumentis, ad excretionem in morbo coeliaco explicandam et ad theoriam exhibendam symptomatibus ex asse respondentem, multo minus etiam sunt idoneae, nimirum morbo coeliaco ex obstructionibus venarum, osculorum mesaraicorum, mucobile, lapidibus, cicatriculis aphthisque deducto. Quis autem est, qui cicatriculas in intestinis monstraverit? Sed inveniuntur nonnunquam, ³⁷⁾ quanto numero per omnia intestina diffusae essent, resorptionem utique impediturae? Et Degnerus ³⁸⁾ quod expertus est, morbum coeliacum, ex dysenteria ortum, Tinct. Cascarrill. ect. esse sanatum, nonne huic hypothesis omnino contrarium dixeris? Quomodo quaeso, his remediis adhibitis, poteris cicatricibus mederi? Quantopere intestina tegumento mucoso obducta esse deberent! Unde denique innumerabiles illi lapides exorirentur, vasa resorbentia impedituri, quominus suo fungantur officio? (Quod de cicatricibus dixi, pariter in aphthas valet idem, ut quae R. A. Vogeliq (l. c.) auctore, adnumerandae sint, pathologicorum fictionibus.

37) Brendeli Observat. Prael. acad. ed. Lindemann. T. I. pag. 289.

38) Degnerus ej. Histor. med. dysent. Neomag. §. 82. in Vogeli diss.

Cum tot tantisque rationibus jam satis probasse mihi videar, causas a scriptoribus ad explicandam excretionem in morbo coeliaco obviam, adlatas, omnino abhorrere ab experientiae praeceptis, neque ad symptomata inde deducenda sufficere, incidimus in veteres auctores, dicentes de observatis, unde, solius rationis ope, alias omnino causas, quam quae supra sunt enumeratae, repetere liceat. Burnetus ³⁹⁾ nimirum aegroti cujusdam mentionem facit „quem arthritici insultus, finito paululum fluxu, protinus afflixerint.“ — Quomodo vero hoc fieri possit, si obstructio vasorum lacteorum, glandularumve mesaraicarum chylosum fluxum producat, nullatenus concipimus.

Huic fluxus chylosi causae objiciebant, obstructionem glandularum venarumque mesaraicarum ideo fieri non posse, quod fluidorum magna copia ab aegrotis adsumta, renibus celerrime secernatur. Sed non habent, quod adhuc dubitent, cum Magendie experimentis valde probaverit, magnam partem fluidorum non a vasis lacteis, sed venis, resorberi; inde intelligi potest, resorptionem licet impeditam, quominus per vasa lactea fiat, per venas tamen satis commode procedere posse. Quo

39) Burnetus pag. 308. Thesaur. med. pract. Lic. III

quidem pacto celerem eorum evacuationem ex rebus profectam, facillime explicaverimus.

Nimirum ratiocinando in errore saepe incidimus. Et si igitur viri maxima auctoritate conspicui, supra memoratis causis adducti, theoriam evacuationis chyli evertere non sine laude studerent, primae tamen harum causarum vis infirma, ne dicam omnino nulla, esse videtur; licet illis ipsis eam ob causam magni momenti non esse non poterat, quod sicuti credunt, concoctione bene procedente, quotidie tantummodo quatuor, ad octo, unciae Chyli e cibis extrahuntur. Illam autem sententiam esse taxandam atque a melioribus Physiologiae praeceptis alienam, ex Magendie experimento jam supra perspeximus. Alias igitur investigemus rationes, quibus effluxus chyli in morbo coeliaco a vero alienus exhibeatur. — Eo tamen immodestiae non procedo, ut quas adlaturus sum, velut ex meo ipsius ingenio oriundas venditem, sed mea sponte profiteri malim, ex parte e compluribus scriptoribus esse mutuatas. —

Simulac tot tantisque rationibus edocti, chyli chymique evacuationem ex causis allatis locum non habere, intelligerent, nonnulli recentissimorum medicorum, ⁴⁰⁾ alias exqui-

40) Wilh. Fr. Dreyssig Handbuch der Pathologie 2. und letzter Theil Lpzig. 1799. p. 137.

rere studebant, in quibus id tandem amplexi sunt, chylum, receptaculo suo, ductuque thoracico compressis, solum vel una cum excrementis evacuari. Alii vero, ex retrogrado illo vasorum lymphaticorum et lacteorum motu, quem Darwin, v. Heuvel ⁴¹⁾ statuebant, evacuationem chyli facillime explicandam esse, opinantur. Cum persuasum habeam, non nisi experientiae praeceptis nixos, huiusmodi in rebus rite judicare posse, cetera, quae chyli receptaculo ductaque thoracico compressis etc. alii tradiderunt, praetermittam; quaedam simpliciter commemorasse, sufficiat. Attamen id unum adjicere liceat, quod ex iis, quae Magendie expertus est, ductu thoracico canum substricto, nutritionem saepius non interrumpi, sequi mihi videatur, solam compressionem impari esse interrumpendae communicationi inter chylum et venarum sanguinem intercedenti. — Omnibus igitur rite perpensis, omnis rei cardo in eo verti mihi videtur, ut doceatur, nec chymum, nec chylum, qui maxime in morbo coeliaco evacuentur, sed humorem quemcunque alium, excerni.

§ 17.

R. A. Vogel (l. c.) de falsa antecessorum opi-

41) V. d. Heuvel Tentamen nosologicum. 1787. in Dreyssigs Handbuch d. Patholog.

nione persuasionem consecutus, aliam excoluit theoriam, qua adoptata docet, morbi fontem jam in universa humorum massa, quotiescunque nimirum cachexiam iste subsequatur, jam in primis saltem viis delitescere, nimirum sive in ventriculo et intestinis simul, sive in his solis quaerendum. Ventriculum laborare, intelligendum esse ex ante turbata digestionem, ex ciborum tum fastidio, tum nimio insolitoque adpetitu; praeterea ex ructibus, dolore atque singultu. Ubi vero pathematum ejusmodi nulla adesse, ventriculus etiam accusari non posse. In intestinis vero humorum sexcentis modis depravatorum colluvies bilis, succi pancreatici et intestinalis lymphae semper praesto esse. Istos vero humores, pro diversa sua dyscrasia, ad tria fere genera esse reducendos: ad inertiam, visciditatem et acrimoniam, quae indolis suae depravatae injuria, alimentorum succum diversimode corrumpant, eique jam mitiorem, jam vehementiorem foetorem una cum diverso colore impertiant. Si bilis solita sua vi praedita esset, flava non esse non potuisse excrementa, viridia autem vel nigra lividaque bile jam corrupta, tandem, tingendi virtute cum fuerit privata, alborem tueri; tum vero ceterosque humores lymphaticos tanta majori copia effluere in intestina, et mucum augeri. Non igitur esse mirum, si alvi fluores, dysenteriae, nascantur si in nonnullis aegrotis certis tantummodo horis

alvus fluat; si interdum, quo coeperat, die, interdum postero, aut tertio, profluvium sponte quiescat, ejecto omni supervacuo, aut corrupto humore.

§. 18.

Morbus coeliacus igitur, ita enim Vogel sentire nobis videtur, originem suam trahit ex bile, succo pancreatico et lymphae effusis, quibus alimentorum succus in duodenum deductus, diversimode mutetur, et denique ejiciatur. Haec fere fuerint Vogeli placita, accuratissime delineata. Is enim et totius humorum massae depravatae et intestinorum affectionem, morbi coeliaci fontem esse persuasus, non nisi humorum in duodenum effluentium mutationes, jam magis locales, jam magis universales esse, contendere voluisse videtur.

Restat, ut quaeram, num hepatis, pancreatis malum cum morbo coeliaco intime sit conjunctum? An haec theoria cum omnibus morbi coeliaci phaenomenis accuratissime congruat? Duobus hisce quaestionibus affirmatis veram profiteri hanc Vogeli theoriam possis.

Symptomata utpote quae ex morbo profici-

cantur, de organismo affecto certiores nos reddunt. Etsi aegroti sensum et medicorum investigationes phaenomena primum saepe fugiunt, denique tamen magis minusve ista, tanquam organi vel systematis Organismi affecti, indices, procedunt. Itaque ex phaenomenis morbi coeliaci, cujus, ut Vogeli quidem fert opinio, bilis, succi pancreatici secretio palmaria est conditio, hepatis, pancreatis malum foret augurandum. Quam hepatis affectionem non exiguis effici symptomatibus, vel ideo verisimile mihi videtur, quod bilis secretio, ob magnam quotidie tam discolorum in morbo coeliaco alvo excretorum quantitatem, copiosa non esse non possit; experientia autem comprobari videas, hile in duodenum copiose effluente, plus minusve symptomatum, quae plerumque initio subinflammatorium hepatis statum indicent, accedere. Quodsi haec phaenomena nequam necessaria esse videas, nonne probabile faciunt primum momentum? — Atqui cum fieri non possit, quin, tam permutata bilis secretio ex gravi hepatis perturbatione originem ducat, eamque ob causam magis minusve perturbatam bilem, faecesque discolores esse oporteat, in periodico morbo coeliaci decursu explicando denuo in novum incidere obstaculum. — Nunquid in hepatis morbis toties observatis, excretiones alvi multiplici modo depravatae, discoloresque tam raro se nobis offerunt? Nonne Vogeli sententiam amplexis, compro-

bandum nobis fuerit, bilem altero momento tingendi sua virtute privatam, altero, aut integram aut alteram, esse? — Quomodo, quaeso, sanguinolenta ista stercora, in hac passione vexatis, explicare potueris, si mutatio succi alimentorum, sive enormiter secreta bile vel succo pancreatico adveheretur? — Quamquam R. A. Vogel ad morbum istum formandum, mutatam omnium humorum cum chymo in duodeno commistorum qualitatem requirat, nihilominus tamen rationem indicat, qua ad mutandum alimentorum succum conferant. Eaque de causa, et cum ex symptomatibus nequam de affectione pancreatis cogitari liceat, valde arbitraria videtur Vogeli opinio. Tantum abest, ut Vogeli theoriae objecta sententiam ejus de morbo coeliaco enunciatam confirment, ut potius in dubium vocent, et eo quidem quod nonnulla, secundum hancce theoriam, vel omnino non, vel non satis exacte explicari possint.

§. 19.

Wedekind ⁴²⁾ et Barthol. de Siebold ⁴³⁾ na-

42) Aufsätze über verschiedene Gegenstände der Arzneywissenschaft 1791. S. 345. etc. von Wedekind.

43) Barthol. v. Siebold Historia systematis salival. physiologicae et pathologicae considerat. Jen. 1794. 4-

turam morbi coeliaci in chronica pancreatis inflammatione sitam esse, nec ulla ratione a salivatione hujus glandulae differre, contendunt. — Cujus opinionis aliqua ratione habita experientia auspice pancreatitidis symptomata sunt respicienda; quo scilicet modo, hoc morbo cum coeliaco diligenter comparato, ad certum finem pervenire licebit. Molestum illum sensum atque in regione epigastrica perceptum calorem, tanquam pancreatitidis symptomata, licet minoris esse momenti existimem; nihilo tamen minus et alia nobis occurrunt symptomata, ad confirmandam pancreatitidis diagnosis ab auctoribus prolata, ⁴⁴⁾ ut sollicitudo quaedam atque in praecordiis anxietas, nausea, aquosi, pituitosi, bilioso fluore interdum immixti vomitus, quo quidem vomitu gravatio ceteraque regionem epigastricam infestantes molestiae nequam minuuntur. Tum nonnullis diebus post nauseae initium, dilutae, liquidae, lentae, spumosae, salivalesve vulgo adsunt diarrhoeae, quae semel saepius, vel bis, per diem, nonnunquam cohaerentem siccamque alvi excretionem excipientes, morbo laborantem adficiunt. Excretiones istae acidum plerumque halant odorem, eoque praeterea insignes sunt, quod colica et borborygmi rarissime sub-

44) Dr. Christ. Fr. Harles über die Krankheiten des Pankreas, Nürnberg 1802.

sequuntur aut comitantur. Omnia huiusque a nobis perhibita oculis nostris pancreatitidis offerunt symptomata, ab experientissimis auctoribus, qui de isto morbo memoriae prodiderunt, exposita; tantaque symptomatum animadvertitur varietas, ut morbum coeliacum, cum pancreatis inflammatione, nequaquam confundere possis, neque ullum, dummodo utrumque morbum diligenter comparaverit, sententiae meae fidem esse denegaturum, persuasum habeo.

§. 20.

Ad aliam theoriam examinandam, magna quidem cum laude acceptam, nunc ubique fere praevalentem, aegedum transeamus; theoriam scilicet A. G. Richteri, ⁴⁵⁾ ab I. G. H. Uthoffio (l. c.) nonnullis cum mutationibus primo editam atque defensam. Uthoff morbum coeliacum haemorrhoidibus mucosis, ex interrupta functione folliculorum muciparorum intestini recti originem trahentibus, parem esse statuit. Richter e contrario fluxum coeliacum, nil nisi localem intestini recti, esse morbum existimat, qui chronicam pertinacemque

45) Specielle Therapie nach den hinterlassenen Papieren des verstorbenen Aug. Gottl. Richter, herausgegeben von Dr. Georg Aug. Richter IV. Band. Berl. 1816. pag. 149.

se praebet blenorrhoeam. Ipso iudice, cachexia morbi coeliaci non est causa, sicut visum est nonnullis antiquioribus medicis, sed potius inde utique oriunda. Itaque fluor albus intestini recti, aptissimum, ut opinatur Richter, fluxus coeliaci est nomen.

§. 21.

Priusquam fidem auctoritatemque theoriarum modo expositarum examini subjiciam, descriptiones morbi coeliaci mihi proferendae videntur, a novissimis auctoribus litteris mandatae 46) 47) 48) 49). Sunt enim propria hujus morbi symptomata, I) subitus ad alvi excretionem nisus; II) albens evacuatio, eademque III) minus profusa et singulis quidem vicibus ad cochlearis ferme mensuram; IV) Tenesmus; V) albens excretio, ab excretionem faecum, naturae consentanea, tenesmi omnino ex-

46) Wih. Andr. Haase über die Erkenntniß und Cur d. chronisch. Krankheiten des menschlich. Organismus. 3t. Band, 1. Abtheilung §. 274.

47) Sam. Gottl. Vogels Handbuch der practischen Arzneywissenschaft zum Gebrauch für angehende Aerzte 6t. Thl. Stendal 1816. S. 95.

48) Curt Sprengel's Handbuch d. Pathologie 3. und letzt. Thl. Lpzig. 1797. Cap. Darm und Urinflüsse IV. Milchruhr, pag. 157.

49) Dreyssig (l. c.)

perte, — est separata, pro sua parte suoque tempore deijci solita; haec quidem matutino, illa vespertino plerumque tempore.

Ut nobis obversetur morbus istus cum symptomatibus modo expositis conjunctus: nemo tamen, meo quidem arbitrato, dubitabit, quin idem, ab illo morbo, qui apud veteriores auctores sub morbo coeliaci nomine venit, diversus sit. Veteriorum novissimarumque descriptionum comparatione instituta omnia discrimina facilius elucescent. Recentissimi albentem excretionem minus profusam, cum subito ad alvi excretionem nisu, cum tenesmo conjunctam, peculiaria esse symptomata docent; antiquioribus quidem tradentibus, excretionis etiam tenuem fuisse copiam; haud raro tamen contrarium utrobique docuit experientia. Equidem in antiquissimis, quos consulere mihi quidem licuit, scriptoribus, tenesmum cum excretionem conjunctum nusquam reperi commemoratum, licet lubens confitear, complures auctores, symptoma illud forte commemorantes me non adisse, quum ad veterum auctorum uberiores notitiam adspirare minus omnino mihi contigerit, compluribus fontibus destituto, e quibus, circa morbum illum memoratu digna haurire potuissem. Ex iis tamen, quos consulere mihi licuit, concludendum esse crediderim, il-

lud symptoma non esse nisi accidentale, ergo nequam necessarium. Subitanei quidem ad alvi excretionem nisus, nullam certam uti videtur, mentionem fecerunt auctores: istum tamen plerumque adesse, libenter concesserim, diarrhoearum inter se similitudine, sententiam meam confirmante, adductus. De isto, ultimo nominato, symptomate, morbi coeliaci perpetuo comite, quae contendunt novissimi auctores, utique relutare ausim; namque apud veteres auctores eadem nusquam confirmata reperi. Ne unus quidem ex iis, faecum excretionem albentemque evacuationem diversis temporibus fieri contendit. Ad unum omnes id potius agebant, ut probarent, fieri posse, ut cibus in albam transmutteretur massam. Quam sententiam vel chymum, chylum, vel excrementa alba ista argillacea alvo excerni solita rationibus modo expositis adductus equidem non concesserim, alia tamen mox commemoranda ad verum propius accedere mihi videtur, nimirum excrementa, vel cum enormi, in qualitate et quantitate intestinorum secretionem, conjuncta, (qua ex conjunctione albens pulque similis illius habitus originem ducit) vel has solas adesse; ambarum vero excretionum separationem nequaquam esse certam, nec ubique omninoque probandam. — Pathognomonica symptomata recentissimorum auctorum, quam a me jam sint spectata, atque cum veteriorum symptomatibus comparata; ex omnibus, quae

mecum quidem reputavi, utique id sequitur: si novissimi auctores ⁵⁰⁾ ⁵¹⁾ ⁵²⁾ morbum in intestino recto collocare veluti coacti fuerunt, nos huic opinioni minime assentiri, sed ad summum, sub quadam conditione statuere posse, uno eodemque tempore intestinum rectum adfici, quam tamen affectionem ad morbum coeliacum producendum omnino haud necessariam duxerim.

Ad quam meam sententiam magis confirmandam, quaecunque morbum coeliacum in intestino recto collocare non suaserint, erunt spectanda; 1) morbus coeliacus est difficulter curatu vitium; blenorhoea intestini recti ex ascaridibus, suppositoriis oriunda indeque effecta saepius occurrit, multumque abest, ut pari modo sit pertinax; praeterea aegroti, intestini recti blenorhoeam diutius omnino sustinent, quam morbum coeliacum. 2) Morbo coeliaco adfecti largam floris copiam subito persaepe ex alvo emittunt, qua excretionem

50) Sommering de morbis vasorum absorbent. Frankof. ad M. 1795.

51) Hufelands Journal der practischen Heilkunde 1811. St. VI. Jun. S. 19.

52) Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für practische Aerzte. Band. XXI. St. II. S. 3. von Lund.

mox vires franguntur; in *Blenorrhoea* intestini recti (ascaridibus producta) contra, difficillimum sane foret negotium, tum profusam excretionum copiam, tum, et maxime quidem, subitum hujus excreti ortum apte explicare. 3) prodromi, symptomata morbi coeliaci, ut vehementes flatus, ventris ventositas etc. ex locali morbi coeliaci in intestino recto sede haud potuerint deduci; ut cum Richter aliique contendunt, ascarides, suppositoria illorum symptomatum esse momenta nocentia; cum 4) Richter docet idem, morbum coeliacum diu perseverantem, cachexiam producere, eandemque morbum coeliacum semper tantummodo subsequi: cui sententiae multifaria antiquorum auctorum repugnat experientia, nil aliud argumentantium, nisi: albens excretionis exortui habitum cachecticum plerasque alias perturbationes praecedere; 5) morbum coeliacum cum haemorrhoidibus conjunctum, nostris quidem temporibus pauci tantummodo observarunt medici; Uthloff igitur sententiam justo ampliorem esse, facile intelligitur; at tamen veteriores nusquam, quod sciam, afferunt hujusmodi exempla, Si 6) haemorrhoides mucosae, diversis in modis, certis quibusdam prodromis ut: dispausione atque distractione in regione iliaca, plenitudinis sensu, spasmis in genitalibus etc. praesignantur, de omnibus his veteres auctores, morbum coeliacum describentes, nullam fecere mentionem.

§. 22.

Omnibus hujusmodi theoriis, quae magni mihi quidem momenti esse videntur, ordine expositis, aliis earum accurate refutatis, aliis quidem inter vana nec medico philosopho sufficientia collocatis, quaero, quanam alia theoria cum symptomatibus aptius congruat ad veri speciem propius accedens? Omnes fluores, in intestinis obvii, ut bilem, succum pancreaticum, chymum, chylumque etc. parum sufficere, satis superque me jam exposuisse puto. — Alium in intestinis a membrana mucosa pari modo separatum fluorem novimus, de quo quamquam jam disseruerimus: nil tamen nisi localis in intestino recto aucta nobis videbatur separatio. Quam etsi theoriam symptomatibus morbi coeliaci a veteribus descriptis, respondentem haud existimaverim; nil tamen impedit, quo minus coeliacum morbum *Blenorrhoeae* intestinorum adnumeremus. De qua morbi coeliaci sede, Reil ⁵³⁾ quidem nonnulla jam attulit; at illius sententiam fusius exponere et ad certum finem perducere mihi liceat.

§. 23.

Ad sententiam modo prolatam convenienter

53) Ioh. Christ. Reil über die Erkenntniß und Cur der Fieber III, Band, 2te vermehrte Auflage 1805. §. 222, S. 586.

probandam membranae mucosae intestinorum molestiae undique erunt contemplandae, propterea quod complures a morbi coeliaci vera notione discrepaverunt, et morbos, coeliacae nomine descriperunt, qui intestinorum quidem membranam glandulasque mucosas adficiunt, sed in vario nexu casuali versantur.

Ad propositum dexterius adsequendum, affectiones membranae glandularumque intestinorum dividere liceat in idiopathicam, deuteropathicam et criticam (licet et haec, deuteropathicae pariter sit adnumeranda, tamen satis magni praecipue momenti mihi esse videtur, quam sigillatim delineam). — De hisce singulis, eo plura jam commemoratum.

Affectio idiopathica membranae mucosae intestinorum (est quidem rarior) a celeriter transeuntibus momentis dependens, (ut: ab indigestione) irritatione, vel erethismo vasorum mucum secernentium nititur, quam et atrocitas et major minorve excretionum quantitas sequitur; digestio et alvi excretio perturbatae sunt, ciborum appetentia sublata, ructus, nausea, dolor ventris magis minusve insignes sunt, venter minori plerumque in gradu inflatus. Quamquam perturbatae digestionis symptomata excretionibus pluribus secutis, saepe remit-

tunt, omninoque evanescent, tamen noxiis in momentis, alvi excretiones ventris molestiae augentur, ac sensim sensimque Blenorrhoea idiopathica in deuteropathicam transit.

Blenorrhoea deuteropathica intestinorum accedit ad infantium atrophias, et viscerum abdominalium obstructiones, aut ut verbo rem absolvam, ad omnes cachexias. Ut affectio illa idiopathica ex activis magis symptomatibus cognoscitur, ita in altiori gradu hujus Blenorrhoeae humores sine ullo quasi impedimento e toto corpore in intestina proreptos confluere animadvertimus. Muci excretionem vel gravem foetorem spargentes, vel odoris immunes, nunc majori, nunc minori copia, jam solitariae, jam una cum excrementis, pulvemque referentes, sequuntur, ab albente colore ad subnigrum usque variantes. His demum accedunt ventris, tum magis inflati, aestus et punctiones, crebra est flatuum evacuatio, lingua et cutis siccae; omnium denique secretionum et excretionum antagonistica suppressio, hydrops et emaciatio, quibus postremo succumbit aegrotus. Initio quidem haec Blenorrhoeae deuteropathicae phaenomena, a nobis modo descripta, non tam vehementia conspiciuntur, nec ad tam altum gradum semper perveniunt, etiam per periodos solent esse conspicua, at initio ad similitudinem Blenorrhoeae idiopathicae saepe

accēdunt, ita, ut initium et incrementum Blenorrhoecae denteropathicae sibi quisque mente et cogitatione fingere ipse possit. Eodem modo, quo morbis supra jam nominatis Blenorrhoea accedere potest, haec praecipue etiam, si in priori vitae spatio praecesserint morbi, momentaque externa, quae fibrarum muscularium relinquerunt atoniam, ut dysenteria, diarrhoeae stercoraceae et serosae, autumnii, hiemisque injuriae, humidus, nebulosus, aliusve malae indolis aer, deprimentes animi perturbationes, etc. Saepissime etiam invenitur ista aedfectio in hominibus temperaturae corporis phlegmaticae, quorum fibrarum textura et structura fungosae sunt et laxae, haud spissus sanguis et male inter se cohaerens, ita, ut eorum opinio probanda esse videatur, qui huic fibrarum texturae structuraeque et huic corporis constitutioni ad Blenorrhoecas suscipiendas pronitatem inesse existiment, praecipue aetati puerili et senectuti, feminis magis quam viris sit familiaris.

Frequentior fortasse, quam plerumque existimant, Blenorrhoea critica quam vocant, invenitur, quae saepe non satis cognita, totiesque male neglecta, curando morbo magna non obijcere non potest impedimenta. In morbis acutis, hanc Blenorrhoeam, critica die plerumque apparere et parva etiam excretionē, ipsum morbum imminui et

denique omnino decedere animadvertimus; in chronicis autem morbis, plerumque lentius accedit, et momentum, quo morbus discernitur, non prius apparere solet, quam multae aliae res hoc momentum praecipue largiuntur. Multarum igitur valetudinis calamitatum exitum hanc ipsam intestinorum Blenorrhoeam habere possis et praecipue earum, quae a turbatis nutritionis organorum, ut viscerum abdominalium intumescens proficiscuntur. Prodromi quidem, quibus haec Blenorrhoea interdum cognoscitur, flatus sunt, colica, venter tumidus, pressio aut dolor obtusus in infima ventris parte perceptus, etc. nonnunquam et nullo istiusmodi prodromorum praenuntio, subito erumpit. — Nemo quidem, persuasus, haemorrhoides e venositate aucta originem ducere, infatias iverit Blenorrhoecas respectu venositatis auctae esse criticas; saepissime enim animadvertas, pituitae secretionem in haemorrhoidē tantundem omnino afferre utilitatis, quantum sanguis e vasis haemorrhoidariis manans alioquin exhibeat. Nonne intumescens venis in intestino recto sitis, pituitae secretionem in hoc ipso plerumque mutatam auctamque deprehendis? Nonne Blenorrhoecas et arthritidem, haemorrhoidem et hypochondriam, quarum originem e venositate aucta recte ducere licet, invicem se excipere videmus? Tantum autem abest, ut venositas, quae post auctam mucī excretionem nonnun-

quam imminuitur, sola quantitate semper tolli possit, ut qualitas mucii non omni vi careat. Similitudinem quoque bilis secretæ, cujus mutata qualitas nigris excrementis exactissime cognoscitur, interdum observare licet.

Blenorrhoeam criticam igitur infitias ire non licerit, et in eo convenies, morbo, qui secreto mucos sublatu est, iterum exorto, perturbati æquilibrium restituendi nisu sæpe consumi naturæ vires, aut, Blenorrhoea perdurante, vi sua, in Organismum exserenda, facile privari, neque ad quidquam aliud eam conferre, nisi ad vitam citius finendam.

Tantum autem abest, ut, quamvis divisio Blenorrhoearum jam supra memorata, aptissima esse mihi quidem videatur, infitias eam, fines variarum divisionum exacte posse constitui, ut contra utique exploratum habeam, multos animadverti transitus, sensibus vix percipiendos, multaque innotuisse exempla, de quibus, si quaeras, cui classi sint adscribenda, valde ambigas. Ut igitur certioris aliquid haberem, quod sequeretur, hanc elegi divisionem.

Ilac brevi descriptione atque expositione variarum membranae mucosae intestinorum, affectionum, præmissis, id jam agendum, ut conferamus

inter se symptomata quæ a morbo coeliaco strictè sic dicto, et Blenorrhoea intestinorum recentiorum offeruntur. — Ne autem ambagibus remorer legentes, in his symptomatibus conferendis eos ablegabo ad ea, quæ supra monita fuerant. Utriusque morbi æqualitatem demonstrandam suscepturo, non solum utriusque symptomata una eademque fuerit ostendendum, sed omnem etiam decursum, momenta occasionalia, prædispositionem, prognosin et curam amborum morborum sibi constare, probandum. Tunc demum ei proximæ quæ utrique morbo communis sit, causæ inveniendæ data est copia. — Ei fortasse, qui studiosè veritatem quaerit, multa nimis audacter argumentari et colligere quidem videar, sed ne hoc mihi crimini vertat, memor esto sententiæ, dummodo gravissima utriusque morbi momenta etc. sibi constant, parvi esse habendum leviorum discrimen, quæ, ab aliis quum commemorentur, ab aliis negligentur, accidentalia, adeoque omnino non necessaria, erunt existimanda.

Ad symptomata quidem, decursum, et prædispositionem coeliaci morbi ab antiquissimis descripti, quod attinet, dummodo quæ de Blenorrhoea deuteropathica intestinorum monueram, diligenter inter se contulerit, quisque facile perspiciet, quanta sit Blenorrhoeæ intestinorum deuteropathicæ et morbi coeliaci congruentia. Denique prog-

nosis et cura, ut ex his de convenientia aut diversitate morbi coeliaci et *Blenorrhoeae deuteropathicae* intestinorum certi quid statuamus, hoc loco adhuc sunt commemorandae. — Quo paucioribus auctores prognosin absolverunt, dicens tantummodo: „longissimum et difficulter curatu vitium“ — eo uberius fusiusque de cura morbi coeliaci disseruerunt; quae adhibet remedia, ex roborantibus et adstringentibus constant.

Cum quidem de intestinorum *Blenorrhoeis* contendant recentissimi auctores, haud ita malam esse prognosin, ad haec velim attendant animi lectores, multas dari easque maximi momenti exceptiones, ut in hominibus, quorum fibrarum textura laxa est, apud infantes, senes et foeminas, qui praeterquam quod propensi sunt ad *Blenorrhoeas*, perturbationibus quoque viscerum abdominalium saepe sunt obnoxii. Quod autem ad *Blenorrhoeae deuteropathicae* intestinorum curam attinet, novissimis observationibus et usu commoti eadem fere utimur methodo, quam auctores in morbo coeliaco adhibent. — Insignem igitur cum inveniamus horum amborum in singulis consensum, auctores, coeliaco morbo commemorato, *Blenorrhoeam deuteropathicam* intestinorum descripsisse, rite ni fallor colligere fas est.

Ut ex observationibus antiquissimorum docuisse mihi videor, scriptores nomine morbi coeliaci usos nihil nisi *Blenorrhoeam deuteropathicam* intestinorum descripsisse, ita et haud temere, ut mihi quidem videtur, contendere ausim, *Blenorrhoeam* intestinorum criticam a recentioribus quoque in morbi coeliaci descriptione significari. Ad quam quidem sententiam, luculentis rationibus illustrandam et confirmandam, ex scriptoribus proferenda forent exempla, quibus pateat, molestias, quibus jam antea aegrotus vexatus esset, excretionem esse depulsas. Evidentissima autem apud scriptores frustra quaesiveris argumenta, ita, ut ad hanc sententiam probandam, magis ratiociniis et conclusionibus fuerit acquiescendum.

Fernelii et quorundam aliorum (R. A. Vogel S. A. Vogel) de morbo coeliaco observata, huic opinioni ni fallor, favent, utpote quae referant, molestias ante excretionis albae eruptionem, evacuato quocunque supervacuo, sponte conquiescere, morbum coeliacum in phaenomenis regularem typum observare, ac sine momento externo haud determinato hominem afficere. Submonere praeterea liceat, auctores morbum coeliacum cum arthritide, hypochondria et haemorrhoida, in intimo deprehendisse connubio, quae quidem observationes certe non contradicunt adsertis, sed ea potius probant. —

Restat denique, ut memoremus, medicos Ble-
morrhoeam idiopathicam describentes, usos esse
coeliaci morbi nomine. Tantum abest, ut veteres
(Riverius) jam enarraverint tales quasdam observa-
tiones de superiori parte intestinorum, ut potius
affectiones idiopathicas membranae mucosae inferio-
ris partis intestinorum cum morbo coeliaco confu-
derint recentissimi auctores. (Haase.)
